

mentem civitatem, expelli a mundi civibus debent, ne et ipsi mundi bonis inescati, quærant sibi hic domicilium. Scimus Christum Dominum a Samaritanis in civitatem suam admissum non fuisse: *Quia facies ejus erat euntis in Jerusalem*, Luc. c. IX. hoc est, habitu præ se ferebat Judæum, qui non in montem Garizim (ubi Samaritani adorabant) sed in Jerusalem pergeret ad sollemnitatem. Talis et S. Stephanus erat; facies ejus erat euntis in cœlestem Jerusalem, in quam velut proximam jam introspiciebat: foras igitur expelli e civitate mundi debuit. Idem expectent, quotquot cœli cives sunt. Tribulationes, eorum lapides sunt, quibus e mundo pelluntur velut e peregrino solio, ut ad patriam festinent. Sic compulit Deus Hebræos pergere ad desertum et terram promissam, lacte et melle manantem: a tergo immisit eis primo, Pharaonem cum exercitu, qui cogerat eos pergere per mare rubrum: deinde, Amalecum, qui et ipse cum manu valida a tergo eos invasit (siquidem extremos agminis, qui lassi residebant, cecidit, Deut. XXV.) ut euntes propelleret. Post hos suscitavit alios et alios hostes, regem Idumæum, Chananæum, Amorrhæum, Basan, Balac, qui perpetuo insequerentur eos, nec morari in peregrino solo permitterent. In hujus etiam rei commonitionem, cum desiderarent in via carnes, non alias eis dedit, quam coturnicum, quæ et ipsæ aves peregrinæ sunt, per spatiosa maria ad regionem nostram

æstatemque migrantes, et per terram ambulantes citato gressu currunt; unde *currelia* vulgo appellamus a *currendo*, inquit Comestor, apud Aldron. l. XIII. ornitho. Quod etiam imitati Hebræi in sua profectione, dixerunt ad regem Edom: *Tantum velociter transeamus, hoc est, non detinebimus nos in via, permittite nobis solum transitum*, Num. XX. Hos ergo, auditores, et nos imitemur. Advenæ et peregrini in hoc mundo sumus: quare viatorum instar velociter transeamus, nulla habita ratione voluptatum hujus sæculi, etc.

Quapropter: *Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus*, ait S. Joannes, I. Joan. III. quia nimirum de mundo non estis: nolite mirari aut tristari, si cum Stephano ejiciamini a terrestri Jerosolyma, quia vos de cœlesti estis; et potius lætamini, quia quos odit mundus hos amat Christus *Magis mirabile esset*, ait Didymus, *si pravi homines diligerent eos, qui secundum Christum pie vivunt*. Neque propter hoc odium vel hilum remittite de pietate vestra, sed potius quasi per antiperistasin magis vos intendite et corroborate, sicut calor objecto frigore. Accusent, rideant, doleant, ringantur, damnent, lapident. Sanguis vester ipsos accusabit et damnabit, vos autem glorificabit et Stephanos efficiet. Vicissim aliquando in eorum sanguine lavabitis manus vestras, demonstrando videlicet coram toto mundo, ex illorum malitia vestram innocentiam.

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ

EVANGELIUM. JOANNIS XXI.

In illo tempore, dixit Jesus Petro: *Sequere me*. Conversus Petrus, vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit: *Domine, quis est qui tradet te?* Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu: *Domine, hic autem quid?* Dicit ei Jesus: *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus: *Non moritur, sed: Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc: et scimus quia verum est testimonium ejus.

CONCIONES.

- I. *Aquila Joannis typus.*
- II. *Causæ cur præcipuo amore dilectus sit a Christo Joannes.*
- III. *Qui male sequantur Christum.*
- IV. *De quintuplici genere curiosorum.*
- V. *Cur benedicatur et bibatur vinum in festo S. Joannis.*
- VI. *Benedictiones in Ecclesia usitatæ defenduntur.*

- VII. *Documenta.*
- VIII. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTARII

- I. *Quinque Joannis prærogativæ.*
- II. *Stimuli ad sufferendas inimicorum injurias.*
- III. *Qui cum Joanne præcipue dilecti a Deo.*
- IV. *Sitis ebriosorum poculo benedicto extinguitur.*
- V. *Quomodo et nos in sinu Domini recumbere possimus.*

CONCIO I.

AQUILA S. JOANNIS TYPUS.

- I. Ob sublimem intelligentiam. — II. Ob amorem in Christum. — III. Ob longævitatem. — IV. Ob misericordiam et pietatem. — V. Ob contemplationis studium.

THEMA.

Recubuit in cœna super pectus ejus. Joan. ult.

Vidimus heri Christum gallinæ comparatum, sed qui secundum naturam humanam gallinæ se comparavit, eundem secundum naturam divinam aquilæ comparavit Moyses, Deut. XXXII. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, expandit alas suas*. Nec immerito; ut enim aquila in alto degit ab avium cœterarum societate separata et altissime volat, ut visu attingi nequeat, ita et Deus adeo procul ab omnium creaturarum cognitione distat, ut ad eum nec hominum, nec angelorum oculi pertinere ullo pacto queant. Hujus aquilæ proles est

V. PARS FESTIVALIS.

Joannes, qui et ipse Ezech. I. per aquilam figuratur, ut consentiunt ss. patres et demonstrat ejus pictura; proles, inquam, præ cæteris dilecta, ut patet ex hodierno evangelio, dum vocatur *discipulus quem diligebat Jesus*. At nunc videamus, quibus in rebus comparetur aquila.

I. Prima et potissima causa assignatur a patribus, quod quemadmodum aquila volatu suo omnes aves transcendit et acie oculorum omnes superat, ita ut solem recta intueri queat: ita Joannes evangelio suo super omnes volavit evangelistas, et usque ad conspectum deitatis Christi penetravit. Unde Ezech. I. *Visa est desuper ipsorum quatuor*; ubi S. Gregorius, ib. ait: Joannem seipsum transcendisse. S. August. tract. XXXVI. in Joan. ait: « Cæteri evangelistæ tamquam cum homine dominio in terra ambulabant et de divinitate ejus pauca dixerunt. Istum autem quasi pingerit in terra ambulare, sicut ipse sui sermonis exordio intonuit, erexit se non solum super terram et super omnes ambitum aeris et cœli, sed super omnem etiam exercitum angelorum,

17

etc. » S. Hieron. lib. L. contra Jovin. ait: « Joannes noster quasi aquila ad superna volans, ad ipsum Patrem pervenit, dicens: In principio erat Verbum, etc. » Paucis enim verbis nobis ostendit, quid de Christo credere debeamus. Primo, ab æterno fuisse: *In principio erat Verbum*. Secundo, Personam a Patre distinctam esse: *Et Verbum erat apud Deum*. Tertio, unum cum Patre Deum esse: *Et Deus erat Verbum*. Quarto, mundi conditorem esse: *Omnia per ipsum facta sunt*. Denique, incarnatum esse: *Et Verbum caro factum est*. Nimirum præscivit Joannes paulo post adfuturos hæreticos qui his articulis contradicerent. Unde quemadmodum aquila nidum suum firmat lapide ætite, qui contra venena valet, ut sic eum tueatur a serpentibus, ut refert Pier. lib. XIX. hierogl. ita et Joannes evangelium suum et fidem nostram vallavit initio statim contra hæreticos. Igitur secutus est paulo post Ebion, negans Christum ante Mariam fuisse, ut scribit S. Hieron. de script. eccl. sed contra Joannes ait: *In principio erat Verbum*. Adfuit Sabellius, dicens Christum Personam esse a Patre indistinctam: contra Joannes: *Et Verbum erat apud Deum*. Successit Arius, negans Christi divinitatem, sed contra Joannes: *Et Deus erat Verbum*. Incurrit Manichæus duo creationis principia ponens: contra Joannes: *Omnia per ipsum facta sunt*. Cerdon et Marcion dicebant, Christum in phantasmate tantum natum et passum: contra Joannes: *Et Verbum caro factum est*. Harum igitur hæresum alias prævidens, alias jam existentes videns, rogatus ab Asiæ episcopis scripsit evangelium suum. Et præterea hæreticorum hostis infensissimus erat, nec cum illis loqui voluit, et aliquando in balneo videns Cerinthum mox recessit cum suis, quod vereri se diceret ne balnea corruerent, ubi Cerinthus veritatis hostis esset. Refert Irenæus, l. III. advers. hæres. cap. III.

Docet igitur imprimis Joannes vitare hæreses et hæreticos et nidum cordis nostri munire contra eos lapide illo in quo fundata est Ecclesia catholica, scilicet firmitate et vetustate fidei nostræ. Unde si quando serpentes hæretici conantur te a proposito dimovere, vel venenum hæreseos tibi infundere, ne disputa, sed fuge, si potest, illos: si non potes, dicito: *Credo quod catholica credit Ecclesia, illa inquam supra petram fundata, hæc nus nunquam devicta, nunquam mota, idem semper credens, etc.* Quod si rejiciant, ostendant quando, ubi, in quibus articulis aliquando errarit, deviarit, etc. Hoc vero munimentum ante omnia faciendum est, sicut et Joannes principium evangelii sui munivit contra hæreses. Sic enim et fundamentum domus ante omnia ponendum, alio-

qui quicquid superstruxeris, vanum erit. Frustra confitetur, communicat, orat, jejunat, etc. qui nidum suum non munivit lapide veræ fidei, sed in pectore gerit perfidiam: omnes enim illius pullos, id est, actiones serpens diabolus devorat.

II. Aquila, avis homini socialis est, amorem amore rependens. Scribit enim Ælianus, lib. VI. animal. his. c. XXVIII. ex Philarcho, aquilam a puero educatam acerrimo amore ei adhæsisse; cum puer ægrotaret, aquila assiduo assidebat; cum non ederet ipsa pariter cibum non admittebat; postea vero quum is vita excessit, atque efferretur, ad rogum eum prosecuta est, postque ubi cremaretur in medio rogos se immisit. Imitatus etiam in hoc Joannes aquilam: cum enim a Christo vehementer diligeretur, valde eum redamavit, ut patet ex eo, quod in sinu Christi dormivit, quod ad sepulcrum præcurrit citius Petro, etc. Quoniam igitur sciebat se a Domino maxime dilectum et enutritum, quasi in sinu ejus eundem usque ad crucem solus inter apostolos comitatus est, eique ibi patienti adstitit, ut ita quodammodo cum Christo crucifigeretur, et omnium ejus dolorum particeps fieret. Et hæc videtur causa, cur solus ipse martyrio non obierit, quia juxta crucem subierat martyrium. Qua re docemur tanto esse Deo gratiores et obligatiores ad eum redamandum, quanto plura dilectionis signa ab eo accepimus. Et vero loquendo de generalibus Dei beneficiis, magnum est dilectionis Dei in nos indicium, quod e nihilo nos creare et homines quidem voluit. Sed hoc pene obscuratur, sicut stellæ adveniente sole, si conferamus id cum beneficio redemptionis. Quis enim explicet amorem illum, quo Deus propter nos homo fieri mortalis voluit? Unde gravi de causa apostolus, I. Cor. XVI. dixit: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, maranatha, id est, Dominus venit*, q. d. siquidem Dominus jam in carne nostri causa venit, si quis tanto Dei amori non respondeat, anathema sit, et ab hominum communione segregatus. Hanc vero dilectionem reciprocã ostendere debemus in sedula contemplatione beneficiorum Christi, assidere nato in stabulo, patienti in cruce, etc.

III. Aquila diutissime vivit et juventutem renovat, quando sentit se gravari pennis, dum ex alto solis calore inflammata in fontem præfrigidum se immittit, cujus frigore calor medullarum augetur, et postmodum aliquamdiu quiescit, atque ita plumis succrescentibus renovatur, teste Alb. M. lib. XXIII. de animal. lit. A. Simili fere modo Joannes inter apostolos diutissime vixit,

nimirum sexaginta octo annos post passionem Christi, teste S. Hieronymo, de scriptoribus eccles. Nicophoro, lib. II. histor. c. XLII. et consequenter usque ad annum 101. post Christum natum, qui erat secundus Trajani imper. Ad hæc ipse renovavit juventutem suam. Et qua ratione? In oleo ferventis dolii, in quo positus erat a Domitiano imp. ubi adeo læsus non est, ut etiam purior ac vegetior, teste S. Hieronymo, lib. I. contra Jovinianum, inde exierit. Igitur a Domitiano in Patmos insulam relegatus ibi quieti contemplationis vocatus, et Apocalypsin scripsit. Cujus exemplo docemur patienter sufferre tribulationes, infirmitates, inde enim puriores egredimur, sæpe videmus juvenem, qui de gravi morbo convaleuit, postea esse cautiorem, temperantiorum, ad virtutem promptiorem.

Docet etiam renovare juventutem per crebriorem penitentiam. In ea enim per contritionem incalescimus a conspectu Dei, in quem peccavimus. Per confessionem immergimur in fontem frigidum; per satisfactionem excutimus pennas veteres, bona aliena, odia, pœnas, etc. Hæc vero non semel sed sæpius in anno facere expedit. Quomodo enim non sentiat se gravari veteribus pennis, quia anno tantum semel confitetur? Qui pondus peccatorum suorum toto circumfert anno?

IV. Pia est et misericors erga ejectos pullos a cicconia montana vel altera aquila; eos enim colligit et educat, teste Pierio, lib. XIX. hierogl. Talis etiam Joannes erat erga lapsos, ut eos reduceret. Cujus exemplum narrat ex Clemente Alexandrino Eusebius, lib. III. histor. c. XVII. Nam juvenem aliquando commendarat episcopo civitatis in Asia Ecclesias visitans, ut eum institueret, et salutis ejus curam gereret. Episcopus porro, cui cura hæc a tanto apostolo delegata erat in christiana fide ac moribus instructo baptismum et confirmationem dedit; sperans autem quod cætero bene se haberet, eum negligentius observans sibi permisit. Ille vero libertate abusus, et licentia factus deterior, malorum familiaritati adsuevit, factus ad extremum prædonum et latronum dux. Post aliquantum vero tempus requisitus fuit S. Joannes, ut pro ecclesiasticis negotiis in civitatem eandem rediret, quibus expeditis, episcopum de juvene interrogat. Ille autem graviter ingemiscens secundum animam mortuum respondet, et pro ecclesia vicinam montem elegisse, in quo prædas exerceret et latrocinia. Audiens vero hæc Joannes: *Ah! cui*, inquit, *pastori ovem hanc credidi!* Ac statim equum expediti jubet et viæ ducem, dein ad montem et latronum speluncam proficiscitur; quo cum acce-

deret, captus ad ducem eorum deduci rogat, qui eum, ut erat, operiebatur armatus. Sed cum eminus adduci videt Joannem, ocius fugit, sequente eum Joanne et clamante: *Quid fugis me, fili, patrem, senem, inermem? Compatere labori ac molestiæ meæ, noli timere, superest salutis tibi spes. Ego pro te Christo rationem reddam ac respondebo, quin et si necessitas exigat, moriar pro te lubens, quomodo pro nobis omnibus Christus. Animam pro te ponam, siste cursum et crede, misit me tibi Christus.* Audiens porro ista juvenis, stetit dejectis in terram oculis et arma exuens, ac eum magno timore appropinquantem ad se apostolum lærymans amplectitur, dexteram abscondens tot cædum patricem. Spandet apostolus impetraturum se a Christo omnium peccatorum remissionem, et in genua procidens apprehensam ejus dexteram osculatur, eumque hoc modo in Ecclesiam reduxit, una cum eo oravit, jejunavit, nec discessit ex civitate, nisi postquam eum primo consolatus diligentissime instruxisset, atque ita virtutibus perfecisset, ut Ecclesiæ ministrum consecraret. Discant hinc pastores animarum, discant et parentes salutem gerere sibi creditorum et errantes revocare, nisi Deo rationem reddere velint: discant oves errantes et filii perditii, non fugere, non resistere, cum ad penitentiam quærantur, eumque arguantur præsertim in confessione, quando confessarius perscrutando eorum conscientiam eos quasi fugientes et tergiversando insequitur, et urget; quærit enim ovem errantem, te quærit, non se.

V. Aquila in alto fere semper moratur, raro et non nisi cibi causa ad terram descendit. Similiter S. Joannes contemplationi deditus erat rerum divinarum, raro corporalem admisit quietem. Unde: « Fertur aliquando cum perdicem moliter demulceret, inquit Cassianus, collat. part. lib. II. collat. II. quemdam ad se habitu venatoris venientem subito conspexisse, qui miratus quod vir tantæ opinionis ac famæ ad tam parva, et humilia se oblectamenta comitteret: Tu ne es, inquit, ille Joannes, cujus fama insignis ac celeberrima me quoque summo desiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamentis tam vilibus occuparis? Cui B. Joannes: Quid est, quod manu tua gestas? At ille arcus inquit. Et cur, ait B. Joannes, non eum tensum ubique circumfers? Cui illerespondit: Non convenit, ne jugi conamine rigoris fortitudo laxata mollescat, ac depereat, et cum oportuerit, ut fortiora in aliquam feram spicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ intensionis amisso, violentior ictus non possit emitti. Nec nostri, inquit B. Joannes, animi te offendat, o juvenis, tam parva hæc brevisque

laxatio, quæ nisi remissione quadam rigorem intensiois suæ interdum releuet ac relaxet, irremisso vigore lentescens virtuti spiritus, cum necessitas poscit, obsecundare non poterit. » Hæc ibi. Unde patet Joannem fere semper contemplationi et rebus seriis intentum nonnisi modice et rarissime animum relaxasse. Quod si hanc doctrinam nobis applicare velim, invertere illam debeo et dicere, ut qui tota septimana rebus temporalibus vacamus, et spiritum ad corporis obsequia trahimus et deprimimus, saltem in diebus festivis relaxemus, et requiem ei suam demus, divinis rebus vacare ac rursus volare sinamus, quem fere semper alias in terris occupatum retinemus. Deceret sane ut cum aquila et Joanne potiorem partem spiritui daremus, et in contemplatione ac oratione Deo tribueremus, sed quia hoc paucorum est, id saltem omnino convenit, ut si dies non festivos corpori tribuimus, dies saltem festivos animæ tribuamus. Non enim instituti sunt illi, ut otiemur tantum et a laboribus corpus eximamus, sed ut spiritus imprimis quiescere et in Deo se recreare possit, alioqui omnino suffocetur et enervetur. Illis ergo saltem diebus, quando sæpius non datur, animus attollere se debet, contemplari Dei beneficia, suos defectus, vitæ suæ rationem, sanctorum vivendi rationem et exempla. Et his præsertim diebus contemplari debemus beneficium redemptionis et incarnationis, eaque contemplatione animos nostros pascere: deberemus, inquam, cum Joanne demulcere perdicem illam Christum ad terras illapsam, veram scilicet matrem nostram, ut heri vidimus, eidem patienti condolere, nobis gratulari, etc. deberemus dicere cum pastoribus: *Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc Verbum: transeamus negotia sæcularia, nugas, jocos, ludos, etc. sed o quam perverse aguntur hi dies tam festivi? Transiguntur ludis, jocis, commensationibus, et utinam non etiam noctes. Hoccine est spiritu relaxare et Deo vacare?* « Ludebam foris, inquit S. Bernardus, ser. II. de nativ. Dom. in plateis, et in secreto regalis cubiculi, super me ferebatur iudicium mortis. Audivit hoc unigenitus ejus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens et ejulans, quod morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subito procedentem, stupeo novitatem, causam perconctor et audio. Quid facturus sum? Adhucne lunam et deludam lacrymas ejus? » Ita ille.

Viderint ergo quantam Christo injuriam faciant, qui has sacratas noctes vernacula, ludis et commensationibus profanant, etc.

CONCIO II.

CAUSÆ CUR PRÆCIPUO AMORE DILECTUS SIT A CHRISTO JOANNES.

I. Ob naturæ præstantis bonum. — II. Ob similitudinem. — III. Ob amorem reciprocum.

THEMA.

Conversus Petro vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus. Joan. XXI.

Genesis XLIII. legimus Josephum, undecim fratres suos convivio excepisse, quando ab eis nondum agnitus erat. In eo convivio misit Joseph de mensa sua singulis fratribus varia et selectissima fercula, sed minimo natu Benjamin quinque plura quam cæteris. Quamobrem mirabantur omnes, sed postea intellexerunt hujus rei causam, cum se Joseph manifestavit: quia scilicet id fecisset propterea quod Benjamin frater ejus couterinus esset, hoc est, tam ex parte matris, quam ex parte patris; reliqui tantum ex parte patris. Simili fere modo Christus egit cum discipulis suis (quos frater suos vocabat Joan. XX.) dum enim cum eis in terris degeret, singulis distribuit præclara quædam dona et exhibuit amoris argumenta: sed præ cæteris tamen majori amore dilexit Joannem (velut natu minimum et quodammodo couterinum, utpote futurum matris etiam suæ filium adoptivum) et quinque peculiaribus amoris judiciis ac prærogativis condecoravit. Prima, dum eum in sinu suo fovit, arcana sua ei aperiendo; etiam Judæ proditorem: secunda, dum eum singulari sapientia super omnes illustravit: tertia, dum matrem ei in cruce commendavit: quarta, dum vitam ei maxime longævam dedit, annos 93. ætatis usque ad Trajanum imperatorem: quinta, dum eum a martyrio liberum esse voluit. Unde Joannes quoties de ipso scribit, vocat se *discipulum, quem diligebat Jesus*. Sed mirari aliquid potest, quod tam peculiaribus ferculis honorarit Christus Joannem. Quæ igitur hujus præcipui amoris causa? Videamus.

I. Tria sunt, quæ amorem causant. Primum, ipsa rei bonitas cognitione percepta: bonum enim per se amabile est. Multa vero bona erant in Joanne, quibus alios Christi discipulos superabat. Imprimis acies ingenii sublimioris, quæ adeo postea exulta est, ut aquilinæ comparata sit et usque ad deitatis altissimam contemplationem evolarit. Quis autem nescit a ludimoderatoribus amari præ aliis discipulos illos, qui ingenio sunt præstantiori et disciplinarum capaci? Noverat Christus hoc ingenium ad divinitatis suæ cogni-

tionem super alios volaturum, eamque toti mundo testatam facturum ac contra hæreticos defensorum; ideoque merito tamquam athletam fortissimum dilexit, poteratque de illo dicere idem, quod de Paulo dixit: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus*, imo toto orbe.

Cum parentes vident unum filiorum suorum cæteros indole et ingenio præcellentem, magis eum diligunt et plures in eum sumptus collocant, quo virtutibus et doctrinis excolatur, mittunt eum ad academias et exterarum nationes, etc. cur non idem faceret Joanni Christus? Aliud ejus bonum perquam amabile, erat innocentia, quæ cæteros vicit apostolos, siquidem adhuc adolescens Christi collegio adscriptus est, et in eo semper innocentissime vixit, primamque innocentiam conservavit. Cæteri jam adulti, a Christo sunt electi, ideoque minus a culpa vacantes erant, cum eligerentur. Quis autem nescit innocentiam rem esse amabilissimam? Sane Christus ipsemet Marc. IX. et X. parvulos complectebatur propter eorum innocentiam, simul ostendens, ejusmodi amplexu et dulci amore dignos esse tantum innocentes. Ut enim matres non ita adblandiuntur natu grandioribus liberis, sicuti infantibus, sic etiam innocentes Deo amabiliores sunt: unde Cant. I. dicitur: *Meliora sunt ubera tua vino*. Cæteri Christi discipuli tamquam adulti severiori disciplina quasi vino potabantur, Joannes vero lacte, tamquam innocens et quasi lactens: ideoque supra pectus Domini solus ipse recubuit. Similem ob causam Josias inter reges Israel omnium optimus fuisse dicitur, IV. Reg. XXIII. ita ut similis ei in virtute nec ante nec post eum fuerit. Nam licet David eo fuisset mansuetior et devotior, Salomon sapientior, Ezechias clementior, fuit tamen ipse innocentior, qui non ita deliquit, sicut illi deliquerunt: unde etiam Eccl. XLIX. memoria Josiæ dicitur compositio odoris suavissima. Ratio, primo, quia Ambrosio teste innocentia facilius custoditur, quam per penitentiam perditam reparatur. Ut enim specula nova initio mundissima, ubi semel inficiuntur, raro vel nunquam ad pristinum nitorem emundantur; ita ætas puerilis semel depravata. Secundo, licet pristina sanctitas et gratia recuperari possit, non tamen innocentiæ: manet enim cicatrix per penitentiam obducta, quæ licet non pariat deformitatem, nequit tamen accedere ad pristinam integritatem, S. Chrysost. ait ho. VI. in Matth. *Sicut in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis Dei speciosa est conscientia munda*: atqui nemo arbitratur negabit, gratiosorem esse faciem pulchram, carentem omni cicatrice, quam

sit ea, quæ cicatrices ex vulneribus habeat. Strenuus est miles, qui multis in præliis vulneribus acceptis, vitam conservavit gladio, sed magis adhuc strenuus est, qui diversis præliis multos occidit hostes, interim unquam vulneratus est; sicut celeberrimus ille Scanderbegus, qui cum ad duo millia barbarorum sua manu obtruncasset, nullo unquam prælio vulneratus est, nisi semel leviter in crure per sagittam, ut Barletius, in ejus vita. Tertio, quia præstantius est, adeoque gratius, ab ipsa juventute, adeoque tota vita Deo servire, quam aliqua tantum vitæ parte. Joannes ab adolescentia jugum Christi portavit.

Aliud bonum dignissimum amore, quo excelluit aliis, fuit virginitas et ob id Joannes magis a Christo dilectus, uti testatur S. Hieronymus, lib. I. contra Jovinian. et patet ex tenera ejus ætate, cum Hieronymus scribat pene puerum vocatum a Domino, et constet vixisse usque ad tempora Trajani, secundum Baronium et alios, sexaginta octo annos post Christi ascensionem. Cæteros, saltem plerosque apostolos prius conjugatos fuisse verisimile est. Porro virginitatem specialiter a Christo diligi, patet ex Ap. XIV. ubi solæ virgines dicuntur emptæ esse de terra primitiæ, id est, electissimi fructus, Deo et Agno, et sequi Agnum in cælo, quicumque ierit, tamquam citharædi ejus, quare: *Nihil aliud significatur, ut inquit Blas. Vegas ibi, quam Agnum virginibus præcipue delectari, ita ut a suo latere eas nunquam velit discedere*. Sequuntur eum velut citharædi, ad ejus oblectationem. Dicuntur autem citharædi, quia propriam carnem domant et spiritui concordant, ita ut non jam caro esse, sed in spiritum transisse videantur. Hæc autem carnis subactio præclarior est omni alia victoria propter difficilius certamen. Novimus enim maximos heroes hostium domitores carni subjacuisse, Davidem, Salomonem, Herculem, Alexandrum Magnum, et aliquot fortissimos Christi athletas, qui varia tormenta vicerant, contra quos expostulat S. Cyr. lib. de lapsis. Accessit ad puritatem corporis ejus summa puritas animi. Scribit Euthym. in c. XXIII. Joannis, eum tantam a puero habuisse curam puritatis, ut ne turpem quidem cogitationem quam in cor suum ascendere permiserit. Scimus autem quid Sapiens dicat, Prov. XXII. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam, laborum suorum habebit amicum regem*.

II. Similitudo, juxta id Eccles. XIII. *Omne diligit simile sibi et omnis homo proximum sibi*, (nisi per accidens alter alterum impediatur, ut cum figulus figulum odit.) Joannem autem ad Christi similitudinem maxime præ cæteris accessisse, colligi ex eo potest, quod eundem Christus ma-

tri desolata, tamquam effigiem sui ad solatium relinquare voluerit, sicut solet sponsus facere sponsæ ad ea discessurus, ut si ipsa saltem in imagine sponsum suum possideat: sed qua in re similem Christo ostendemus Joannem?

Primo, in moribus et conversatione. Nam in primis, uti diximus, virgo fuit et innocens, quemadmodum et Christus. Deinde, uti Christus adeo dilexit homines, ut propter eos perditos recuperandos descenderit de cælo et tradiderit se in manus hostium, ac biberit amarum passionis calicem, ita suo modo fecit et Joannes. Nam ut refert Euseb. ex Clem. Alex. l. III. hist. c. XXIII. pro adolescente, qui ab ipso commendatus alicui episcopo erat, postea vero seductus, et princeps latronum factus, recuperando, in locum prædorum illorum descendit et fugientem a se discipulum consecutus est atque ad meliorem frugem revocavit. Deinde, bibit etiam Joannes calicem venenatum pro conversione infidelium, ex pacto, ut alibi diximus, ut si absque læsione eum biberet, illi Christo crederent. Ad hæc sicut Christus in ultima cæna ante passionem et mortem suam dilectionem proximi longo sermone, tamquam rem præcipuam, suis commendavit, Joan. XIII. et XV. Ita fecit et Joannes, cum ad sepulcrum vivens deferretur, identidem repetens illud: *Filioli, diligite alterutrum, quia præceptum Domini est.*

Secundo, in martyrio, plusquam Petrus aut Andreas, tametsi illi crucifixi sint, non Joannes: qui cum magistrum suum tenerime amaret, solus ex discipulis in cruce patienti adstitit; unde non tam similem, quam eandem in Christo, martyrum rationem subiit: siquidem anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Cogitate quid doloris senserint matres, patres, fratres et sorores infantum illorum, quos occidit Herodes, cum viderent eos ante oculos suos tam dire enecari. Majorem fuisse Joannis dolorem, nihil dubitandum. Refert Vincentius, l. CLXXIII. hist. c. LXII. duos quosdam nobiles pueros vultu simillimos, diversorum tamen parentum, cum ambo Romam euntes, in civitate Luca convenirent, et Romæ baptismum ambo suscipere, ab eo tempore admirandum in modum se multuo dilexisse. Atqui Christus et Joannes eodem etiam baptismo sunt baptizati, cruento nimirum illo, qui a Christo descendit in Joannem, quando super hunc illius deflexit sanguis. Quando duo socii longum et periculosum iter confecerunt, vel simul a Turca capti simul ab eo duræ servituti subjecti et simul liberati sunt, non dubium quin tota vita se mutuo valde diligant; cur ergo non liceat sic ratiocinari de Christo et Joanne? Nam

prævidit Christus Joannem sibi socium in passione futurum antequam id fieret. Rursum hinc atrocior Joannis passio fuit, quam cæterorum apostolorum, quoniam illi gaudebant, quod pro Christi nomine paterentur, hic vero dolebat, quod pro eo pati non posset, sed patienter pro se aspicere deberet. Unde S. Bingham, in reuelat. lib. IV. c. XXIII. narrat se audisse B. Virginem dicentem Joanni inter alia: *Amarior tibi passio Filii mei facta est, quam præ cæteris clarius aspexisti.*

Et hinc non immerito, similis etiam Christo factus est Joannes in resurrectione accelerata, juxta probabilem multorum sententiam. Nam post mortem eum mox resurrexisse et cum corpore translatum esse in cælum, sicut et B. Virginem, sentiunt Niceph. l. I. hist. c. XXV. Petrus Damianus, serm. II. de S. Joanne, D. Thomas in c. XXI. Joannis. Cujus indicium est, quod corpus ejus postea cum requireretur ab ejus discipulis, inventum in sepulcro non sit, sed pro eo solum manna candidum plurimorum morborum remedium, ut scribunt Petrus Damianus, Epiphanius, Greg. Turonensis et alii. Nec dum etiam de corpore ejus quidquam repertum est, cum tamen aliorum apostolorum reliquiæ adhuc extent. Quis autem credat Christum voluisse solius Joannis, sibi dilectissimi corpus latere in terris sine omni honore et veneratione? Itaque sicut Maria et Joannes fuerunt Christo socii passionis, ita juste sunt et consolationis, cum Christo jam immortalitate vestiti, ait Thom. Cantpr. l. II. apud, c. XIII.

III. Amor reciprocus. Ita testatur Seneca, cap. IX. cum ait: *Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine; si vis amari ama.* Similiter S. Chrysost. hom. XIII. ad populum ait: *Vis laudari? Lauda alium. Vis amari? Ama.* Sed quomodo ostendemus Joannem in amando Christo præcipuum fuisse? Colligit id S. Hieronymus ex tribus. Primo, lib. I. contra Jovin. c. XIV. ex eo quod nuntiante Magdalena Christi resurrectionem, cucurrit una cum Petro ad sepulcrum, sed præcurrit citius Petro, et primus ad monumentum venit, Joan. XX. Id quod ardentior amoris argumentum est.

Secundo, in epitaphio Marcellæ ad Principiam. Quia cæteris et discipulis latentibus ipse in domum Caiphæ intravit, quando Christus ibi sistebatur ad tribunal; et introduxit Petrum in atrium, uti sentit ibi S. Hieron. Animosior ergo cæteris fuit, utique ob ardentiorum amorem: *Perfecta enim charitas foras mittit timorem*, ait ipse, l. Joan. IV. Petrus ne nosceretur, negavit se Christi discipulum, tantus alioquin athleta, qui paulo ante pro Christo animam ponere vole-

bat (tantus erat Judæorum furor contra Christum); at Joannes cum esset notus pontifici, intravit ejus domum, utique præsentissimo suo periculo: Quamquam hæc. Hieronymi sententia incerta est.

Tertio, ibidem ex eo, quod solus ex Christi discipulis Christo sub cruce adstiterit intrepidus, inter furentes milites et principes sacerdotum ac Judæos. Quare si Christus commendat omnes discipulos, quod permanserint secum in tribulationibus, quanto magis præ cæteris Joannem? Quid mirum ergo si magis a Christo dilectus fuit, qui magis et in finem eum dilexit? *Ego diligentes me diligo*, ait Sap. Prov. VIII.

Dicit jam aliquis: Qua tandem ratione possum et ego obtinere, ut diligar a Christo? Respondeo, si sequaris exemplum Joannis in iis quæ diximus, saltem pro viribus. Et primo, cura ut sis bonus; imprimis vero stude innocentia, et cura ut servias Deo a tenera ætate. Nam, teste Jeremia, Thren. III. *Bonum est virum cum portaverit jugum ab adolescentia sua.* Noli itaque differre vitæ emendationem usque ad senectutem, ut parum boni effici potest. Nam uti ingratus est servus qui aliis, dum robustus et juvenis erat, servitium suum non impendit: et cum senex effectus est, querit impendere ita etiam coram Deo, nisi quis tarditatem fervore compenset, quod raro fit et difficulter.

Deinde, stude castitati saltem conjugali, si non virginali: nam et de illa Sapiens ait: *O quam pulchra est casta generatio cum claritate? Immortalis est enim memoria ejus, quoniam apud Deum nota est et apud homines*, Sap. IV. Agnoverunt hoc et gentiles, quorum vox erat: *Casta placent superis.* Contra de fornicaria dicitur, Jerem. III. *Fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te: ubi vox tamen, non obscure indicat, suscipiendam quidem, sed non cum tanto gaudio, quam si fornicata non esset.*

Deinde, cura ut fias Christo similis. Primo, in dilectione proximi. Ipse enim dixit Joan. XIII. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem ad invicem habueritis.* Curemus similiter querere et revocare oves errantes. Bibamus etiam pro salute proximi, quandoque calicem amarum, devoremus labores, afflictiones, contumelias, injurias, etc. ut fratres nostros lucrificiamus.

Deinde, in patientia tribulationum. Sic enim S. Ignatius martyr cum ex Syria Romam duceretur leonibus objiciendus dixit: *Nunc incipio fieri Christi discipulus, q. d. nunc quando sanguinem pro Christo fundere incipio, quasi vivis co-*

loribus pingar, ac Christi similitudinem induam.

Tertio, cura ut vicissim ames Christum. Eum vero amorem demonstra primo, per devotionem currendo ad res divinas et præveniando alios: *Vidisti virum velocem*, ait Sapiens, Prov. XXII. *in opere suo? Coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Secundo, per fortitudinem, non timendo adversarios, qui impedire te a bono volunt: *Perfecta enim charitas foras mittit timorem.* Itaque vidisti aliquando fratrem tuum peccantem? Vidi, ais: correxisti illum fraterna monitione? Non, quia timui, inquis, ne offenderem illum. Atqui perfecta charitas foras mittit timorem. Audistine forte in platea stans, aut in domo, pulsum ad orationem angelicam? Audivi: sed flexistine mox genua ad orandum? Non: Quia timui, ne riderer a circumstantibus. Atqui perfecta charitas foras mittit timorem: et idem dico de frequentatione sacramentorum aliisque pietatis exercitiis.

Superest, auditores, ut pia et spirituali quadam æmulatione titulum Joannis nobis quoque comparemus. Arrogarunt sibi ethnici imperatores varii varios honorum titulos, magna ambitione, exiguo merito, nullo fructu. Alexander Macedo dictus fuit *magnus*, quod innumerabiles pene exercitus fudisset, et reges perdomuisset: Antonius imperator cognomen *pili* accepit, sive quod socerum fessa ætate, manu sublevarit, sive quod Hadriano sævienti senatores aliquos surripuerit, sive ob similem causam: Julius Cæsar *pater patriæ* audiit, eoque nomine delectatus est: Trajanus imperator *optimus* est dictus, forsitan quod juravit neminem bonum virum suo jussu occisum iri. Præclari quidem sunt hi tituli, magna nomina; sed quid hæc ad titulum Joannis? Illi cum suis titulis ardent in inferno: Joannes vero triumphat in cælo. Quare si quem honoris titulum in hac vita obtinere volumus, illum omni contentione quæramus, quo dilecti appellemur Christi.

CONCIO III.

QUI MALE SEQUANTUR CHRISTUM.

I. Quidam sequuntur præsumptuose. — II. Alii tepide. — III. Alii coacte. — IV. Alii inefficaciter. — V. Alii inconstanter. — VI. Alii cunctanter. — VII. Alii malo fine.

THEMA.

Sequere me. Joann. ult.

Scire vos arbitror, auditores, venisse in mundum Dei Filium, ut redemptorem, ut præcepto-